

separatum, et materialiter, nihilominus vere et realiter est separatum: et præsertim quantum ad exercendam suam operationem: ergo cum irregularitas inducatur propter veram abscissionem membri, qualis est ista, illam comprehendit lex irregularitatis.

XI. Dico tertio: Qui abscindit membrum debilitatum, et inutile, non tamen totaliter emortuum manet irregularis. Qui autem abscindit membrum totaliter mortuum, nullam incurrit irregularitatem, quando ipse non fecit membrum illud esse mortuum per læsionem moraliter conjunctam cum abscissione illius. Prima pars hujus conclusionis colligitur necessario ex præcedenti, quia illud membrum, utpote vivens continuum erat cum reliquo corpore viventi. Et si objicias illud non esse formaliter membrum, quia non poterat exercere propriam operationem, verum autem membrum dicitur, quod potest exercere illam, ut constat ex articulo præcedenti, respondetur illud esse formaliter membrum, quamvis ab extrinseco sit impeditum a sua operatione; secus est de membro emortuo, utpote ab intrinseco impedito ab operatione sua, quia non informatur anima rationali; unde non est pars vera hominis, et a fortiori nec membrum. Et ex hoc constat probatio pro secunda parte conclusionis.

XII. Tertia autem pars conclusionis asserit, quod si idem homo læsit membrum faciendo illud emortuum, et simul abscidit, ita ut læsio, et abscissio, quamvis sint duæ actiones reales, et fiant distinctis temporibus, si tamen habeant unitatem moralem inducunt irregularitatem, quia illa læsio membri, quando erat vivum induit rationem abscissionis futuræ. Si tamen moraliter nullatenus jungantur istæ operationes, ille non manet irregularis, quia pri-

ma læsio nullo modo inducit rationem abscissionis. Ex dictis constat solutio ad argumentum cum sua prima, et tertia confirmatione. Et ad secundam dicimus specialiter, quod si oculus mansit ex læsione omnino mortuus, lædens fit irregularis, ac si erueret illum, sive dextrum, sive sinistrum, ut constat ex capitulo ultimo, distinctione LV; secus autem si oculus non mansit, quamvis omnino lumine privatus, non fit lædens irregularis.

ARTICULUS II.

Utrum qui seipsum mutilat incurrat irregularitatem?

I. In hac difficultate in primis tria supponenda sunt tamquam certa, et alia tria sunt, quæ difficultatem habent. Primo certum est, quod qui seipsum mutilat, ita ut sibi membrum abscindat non sanitatis causa, efficitur irregularis, non secus ac si alium mutilaret. Ratio hujus est manifesta, quia tunc eodem modo iste est causa voluntaria mutilationis suæ, ac si alium mutilaret. Secundo certum est, quod qui abscindit sibi partem aliquam sui corporis voluntarie, etiamsi membrum non sit, imo etiam si partem partis abscindat, videlicet partem digiti, fit irregularis. Cujus ratio est, quia ita habetur expresse in jure dist. LV, capite Qui partem, ubi dicitur, quod qui partem digiti sibi abscindit fit irregularis, et tamen digitus non est membrum, sed pars; ergo qui partem partis abscindit fit irregularis. Ex quibus regula quædam generalis colligitur a doctoribus, videlicet, quod quotiescumque aliquis fit irregularis mutilando alium, etiam fit irregularis mutilando seipsum, non tamen e converso. Tertio certum est,

quod qui sanitatis causa se, vel alium mutilat non fit irregularis. Et ratio hujus est, quia talis mutilatio non est formaliter nisi curatio, sicut occisio in propriam defensionem formaliter non est nisi defensio. Et insuper constat ex capite Ex parte II, de corpore vitiat, et ex aliis multis capitibus.

II. Difficultas igitur prima est, an qui partem carnis sibi abscindit fiat irregularis. Et videtur quod non, quia irregularitas in jure capite Qui partem, distinctione LV, solum ponitur propter abscissionem partis alicujus membri; ergo non est extendenda ad abscissionem carnis, sive partis homogeneæ. Dico tamen: Qui abscindit sibi partem carnis notabilem, quamvis alia pars loco ablata virtute naturali suberescat, irregularitatem incurrit. Probatur ex decisione capite jam citato, et ex ejus ratione. Etenim irregularitas non imponitur in illo capite ex eo solum, quod quis sibi abscindat aliquam partem pertinentem ad totum heterogeneum, et ad integritatem totius corporis humani, sed imponitur (ut ibidem dicitur) propter atrocitatem specialem, quam quis circa seipsum exercet, et ad vindicandam voluntatem, quæ sibi ipsi ausa est ferrum injicere; sed ad hæc omnia impertinens est, quod pars abscissa, sive pars partis sit pertinens ad integritatem totius heterogenei; ergo. Ex hoc constat ad rationem dubitandi, quia non fit extensio, sed expresse ponitur ibi irregularitas pro abscissione talis partis carnis.

III. Difficultas secunda est, an hæc irregularitas, quam incurrit quis mutilando seipsum, aut sibi partem abscindendo, sit censura ecclesiastica; an solum sit canonicum impedimentum. Et probatur solum esse canonicum impedimentum, quia in mutilatione reperitur

vera causa voluntaria, non secus ac si quis alium mutilaret; sed in mutilatione alterius inducitur irregularitas, quæ est canonicum impedimentum propter indecentiam, et non in pœnam peccati, quia (ut supra diximus) irregularitas homicidii voluntarii culpabilis non est ex se nisi canonicum impedimentum; est autem eadem irregularitas mutilationis alterius, et occisionis ac irregularitas propriæ mutilationis: ergo. In contrarium tamen est, quia ut constat ex capite jam citato irregularitas, quæ ibi imponitur abscidenti sibi partem aliquam est in pœnam atrocitatis, quam quis circa seipsum exercet; ergo tunc sit pœna, erit censura ecclesiastica.

IV. Dico tamen: In mutilatione, qua quis seipsum voluntarie mutilat, duplex incurritur irregularitas, quæ est canonicum impedimentum, et quæ est censura. Utramque partem hujus dicti probant duæ rationes modo factæ. In abscissione tamen sui ipsius, quæ non est mutilatio membri, sed solum abscissio alicujus partis, quæ non est membrum, solum incurritur una irregularitas, quæ est censura. Et probatur, quia iste non incurrit irregularitatem canonici impedimenti impositam generaliter pro omni homicidio, aut mutilatione voluntaria facta sibi, sive aliis; ergo solum incurrit irregularitatem positam in illo capite Qui partem in pœnam delicti atrocitatis, ac subinde est censura ecclesiastica.

V. Sed tamen advertendum est, quod ad incurrendam irregularitatem, quæ est canonicum impedimentum in mutilatione sui ipsius sufficit peccatum veniale, quia in illo est sufficiens voluntarium ad maximam indecentiam propter quam incurritur hæc irregularitas (ut jam diximus.) Ad incurrendam autem irregularitatem, quæ est cen-

sura in quacumque mutilatione, sive abscissione partis suæ requiritur peccatum mortale. Et ratio est, quia hæc irregularitas imponitur propter peccatum, utpote in pœnam, leve autem peccatum non est dignum tanta pœna.

VI. Difficultas tertia est, an qui seipsum indirecte mutilat, aut indirecte sibi partem abscindit, eo quia voluntarie dedit causam culpabilem sive occasionem, ut ab alio mutilaretur incurrat irregularitatem. Partem affirmativam tenet Navarrus in manuali, cap. xxvii, num. cxcviii. Et ratio ejus est, quia ista mutilatio sive abscissio partis facta ab alio fuit voluntaria in sua causa illi, qui voluit causam, et passus est mutilationem, sive abscissionem ex illa subsecutam. Dico tamen in casu hujus dubii: Qui passus est illam mutilationem, sive abscissionem, nullatenus incurrit illam irregularitatem impositam in illo capite Qui partem. Et probatur ex alio capite De corpore vititatis, et ex capite Si quis ii, eadem distinctione lv, ubi expresse decernitur hanc irregularitatem incurri propter abscissionem, sive mutilationem affectatam ab ipso, qui se abscindi permisit; unde solum incurrit hanc irregularitatem in aliquo casu, quando videlicet voluit causam, in qua necessario continebatur talis mutilatio, aut abscissio, et prævidit, et tamen affectavit ponere talem causam. Iste tamen casus est rarus, et ideo doctrina Navarri non est regulariter et communiter vera. Advertendum tamen est, quod quando sequitur mutilatio alicujus membri facta ab alio, ille qui dedit causam, et passus est, incurrit aliam irregularitatem, quæ est canonicum impedimentum, et est generalis propter quamcumque mutilationem, vel occisionem sui, vel alterius volitam in sua causa.

VII. Dubitabis, utrum læsio facta proximo circa occisionem, et mutilationem, sive abscissionem inducat irregularitatem. In hac difficultate aliqui auctores tenent, quod sæculares si lædant enormiter proximum, etiam circa occisionem, mutilationem, et abscissionem incurrunt irregularitatem. Et statuunt regulam generalem, videlicet, quod quotiescumque lædens per læsionem enormem reddit alterum irregularem manet ipse lædens irregularis. Et ut hoc explicent advertunt duplicem esse læsionem, videlicet, aliam activam procedentem a lædente, et aliam passivam receptam in læso, et hæc reddit læsum irregularem, quando intervenit una ex tribus conditionibus. Quarum prima est, ut læsio sit tam enormis, quod prohibeat læsum, seu impediatur ne possit exercere ministerium altaris, et ordinis: secunda conditio, quod quamvis possit exercere tale ministerium, nihilominus hoc fiat cum magna indecentia: tertia conditio, quod quamvis possit exercere tale ministerium sine maxima indecentia, nihilominus læsio sit talis, ut inferat notabilem deformitatem.

VIII. Quo supposito duo dicunt isti auctores. Primum est, quod læsio passiva, cui adjacet quæcumque ex his conditionibus reddit læsum irregularem, quamvis sine culpa sua læsus fuerit. Et hoc quidem dictum est verum; de illo tamen nihil in præsentia agendum, sed in sequenti disputatione. Secundo, dicunt lædentem fieri irregularem semper, atque per istam læsionem reddit læsum irregularem. Et probant primo ex quodam motu proprio Martini V concedentis cuidam religioni, ut prælatus possit absolvere, seu dispensare in irregularitate suorum subditorum contracta, non solum propter homicidium occultum, et propter mutilationem, sed etiam

propter sanguinis effusionem; ergo sentit pontifex incurri irregularitatem non solum propter mutilationem, sed etiam propter maximam læsionem cum sanguinis effusione. Confirmatur, nam Sixtus V imposuit irregularitatem procurantibus aborsum. Secundo, probant ratione, quia in hujusmodi enormi læsione non reperitur minor indecentia, nec minor defectus levitatis, quam in abscissione partis corporis, imo sæpe infertur majus nocumentum proximo per enormem læsionem.

IX. Dico tamen primo: Probabile est clericos per enormem læsionem ab ipsis factam aliis, etiam sæcularibus, incurrere irregularitatem, quæ est censura ecclesiastica. Probatur, quia clericis specialiter prohibitum est ne se intromittant in causam sanguinis, non solum justam de se si non prohiberetur, sed etiam injustam, quæ fit per occisionem, aut mutilationem, aut abscissionem partis corporis: sed etiam, ut colligunt doctores, probabiliter ista prohibitio extenditur ad enormem læsionem, præsertim si fiat cum magna sanguinis effusione. Unde in pœnam transgressionis hujus prohibitionis, seu præcepti ecclesiastici incurrunt irregularitatem, quæ est censura ecclesiastica. Dixi in ista conclusione, hoc esse probabile, nam oppositum etiam est probabile, quia multi auctores ita tenent. Et fundamentum illorum est, quia illa prohibitio clericis facta non debet extendi nisi ad casus in illa expressos, in quibus expresse non habetur, quod ista enormis læsio inducat irregularitatem.

X. Dico secundo: Sæculares enormiter lædentes alios circa mutilationem, aut abscissionem partis corporis non incurrunt irregularitatem. Et illa regula generalis auctorum oppositæ sententiæ nullo firmo nititur fundamento. Probatur con-

clusio, quia nullibi in toto jure invenitur expresse talis irregularitas imposita sæcularibus; unde paucissimi auctores sunt oppositum tenentes, ac proinde nostra sententia est communis doctrina.

XI. Ad argumentum primum factum a principio multiplex solet adhiberi solutio. Respondetur tamen facile per primam conclusionem, quod cum pontifex indultum illud faceret religiosis, censuit illos per enormem læsionem incurrere irregularitatem. Et si dicas: Ergo oppositum hujus non est probabile, respondeo per secundam solutionem, quod pontifex ad sedandas conscientias apposuit illam particulam, quia sciebat esse probabile clericos per istam læsionem incurrere irregularitatem, quamvis oppositum esset probabile; et ideo ut in utraque sententia præsertim in prima manerent tuti, fecit eis illam concessionem. Tertio respondeo, quod ibi solum intendit pontifex concedere, quod si aliqui religiosi se intromississent in causam sanguinis justam de se, si non prohiberetur, propter quam quidem incurrissent irregularitatem, possent dispensari a suis prælatis. Ex quo constat illam concessionem nullatenus esse factam ad dispensandum in irregularitate contracta per enormem læsionem, cum talis irregularitas non sit, ut diximus probabiliter. Ad confirmationem respondetur illud decretum Sixti V, jam esse redactum ad jus commune per Clementem VIII. Ad secundum argumentum negatur consequentia, quia quamvis sit maximus defectus levitatis illa percussio, propter illam tamen non est imposita in jure irregularitas.